

invenire licuit, quamquam diu, multoque studio conquiritam.

Verum Sanctitati Vestre fortasse videbitur, eo univèrsa hæc collimare, ut rei exitum proferamus in longum; qui tamen nolle nos moras necere, initio professi sumus. Non alius tamen nobis est animus, quam ut Sanctitas Vestra rei caput attingat, eamque litis expediendæ rationem ineat, qua privatam Molinæ causam ab ea fecernat, quæ illi cum cæteris communis accidit: ut demum serio perpendat, ea neglecta Consultatione, Molinæ Censuram minus æque instrui posse; aut certe fore illam minus utilem ad pacem, inter commissos Ordines conciliandam, & asserendam, quæ maxime quaritur, Hispaniæ tranquillitatem. Immo vero res longe aliter cederet; quotquot enim Scriptores sese per Molinæ latus petitos arbitrantur, ac cæteri quique Religiosi Ordines, & Academiarum Professores, qui se, tametsi nunquam auditos, eadem cum illo Censura notatos existimarent, inclamarent haud dubie; hæreticos non modica lætitia afficerent, turbas cernerent in Ecclesia; Vestræque etiam Sanctitati molestiam crearent longe maximam.

His ergo positis, expediendi negotii ratio, qua res tota brevi conficeretur, ac certo, iniri facile posset; utpote quæ jam ex parte inita est: nempe Sanctitas Vestra Breve Apostolicum ederet, quo, narratis curis in hanc diem positis, celebratis Congressibus, & Scriptis ultro, citroque datis, aliquanto fufius confirmaret, quod pridem in Hispania præscriptum; nimirum, ut, donec Sanctitas Vestra rem ultimo definiat, utraque Sententia defendi possit, absque tamen adversæ partis morfu, atque Censura. Hoc quippe semel constituto, brevi dignoscatur, quid in Molina probabile sit, quidve minus; ac tum ille, ut est humilis, singula emendaret. Nihil erit, quod Patres Prædicatores conquerantur: horum nulli vulgare fas erit, Societatem damnatione petitam esse; Theologi non pauci, & Academiæ, quibus ea Sententia probatur, nihil habebunt, quod musitent in oppositum: atque ita Sanctitati Vestre satis otii dabitur consultationis in re tanti momenti instituenti; nec Molinæ Libri emendatio, si forte sit opus, feretur in longum. Alias Molinæ causam, verbis quidem privatam faciunt Prædicatores, at re ipsa cæteris Theologis communem. Illi ipsi nolentes litem protrahunt; cum contra nos finiri eam optemus, salvo utriusque Ordinis nomine, ac bona totius Ecclesiæ pace, summaque Sanctitatis Vestre voluptate: cui rem totam Cardinalis Bellarminus, & Præpositus Generalis, pacis amantissimus, fufius exponit, cum primum illos audire non gravabitur.

Sic certe Viri, juris, & aequi tenacissimi, Prædicatorum sententiam probabilem a Summo Pontifice pronuntiari, precabantur, quam nudius tertius traduxerant, ut hæreticam; modo tamen probabilis jure donaretur & sua. Consulendas totius Orbis Academiæ, significabant: hancque finiendæ litis expeditissimam viam obtendebant, qua nulla unquam vel majoribus difficultatibus circumfusa, vel diuturnioribus dilationibus involuta fuit. Quare non eam modo despexit Summus Pontifex, sed & ipsa die sequenti delegatos Molinæ Censores acciri jussit, qui secum de finiendâ Controversia mutuo conferrent.

Actum ea de re trium, & amplius horarum spatium, ac tandem, superiorum Congregationum

gestis compendio narratis, læssique Catholici Regis Episcopis, quæ causa definitionem urgebat, quatuor statutis Beatissimus Pontifex. Primo, ut maturiori examine Censuram, a Secretario totius Congregationis nomine adornatam, recognoscerent. Secundo, ut Molinæ Propositiones, Censura notatas, cum eisdem propriis verbis conferrent, ne quid illis vel detraxeretur, vel adderetur. Tertio, ut eam, femel recognitam, in breviorum subinde formam, distinctis propositionibus contraherent. Quarto demum, ut illam (si pristino iudicio standum decernerent) propriis chirographis munitam, sibi traderent. Subiunxit, atque etiam tertio contestatus est, se causam omnino Pontificia auctoritate definire velle; quod scilicet res summi momenti, & ad Catholicam fidem latuens ageretur.

Priorum etiam Censuram numero adscripsit P. Hippolytum Mafferium, Lucensem, Episcopum Montis-Pelufii, quem servandi silentii juramento adstrinxit. Ac ne hujusce Examinis curam omnem apud Censores deponere videretur; Censuram, a Secretario jam pridem instructam, per juratum Inquisitionis Scribam sibi quam primum transcribi voluit, ut eam ipse per sese legeret, atque expenderet.

CAPUT X.

Stat Pontifex incepto: Tertium Causæ hujus examen, seu verius novam primi examinis recognitionem edicit. Interea multa Jesuitæ moliantur, ut litem implicant.

Vix dici queat, quanta bonos omnes lætitia affecerit religiosa illa Clementis VIII. voluntas; quam nec vani terrores frangere, nec speciosa Adversariorum artes deludere poterunt. (1) Accessit, totius Ordinis nomine, gratias acturus, Prædicatorum Generalis, die 24. Aprilis. Spondit, Ordinem suum, futuræ definitionis expectatione suspensum, id omne lubenti, pronoque excepturum animo, quod Pontificia auctoritate fanciret. Obsequii fidem pergratum habuit SS. Pater, atque, eandem se in Jesuitis vehementer optare. Tum familiari sermone habito, præconceptum ex oblata sibi nuper Societatis supplicatione dolorem significavit; jussitque, ut illam quantocius ab aliquo e suis Theologis confutari curaret. Si vede assai chiaramente, inquit, che li PP. Jesuiti vogliono tirar questo negotio alla lingua, volendo farmi temere un gran fracasso, se io so pubblicare la Censura del Molina, senza aver inteso le loro difese. E per tanto, sono già due anni, che li sentiamo ogni giorno. Hoc est: Sat clare perspicuum habetur, Patres Jesuitas velle huic negotio moras injicere, conantes, timorem mihi incutere de magnis turbis, inde orituris, si Censuram adversus Molinam in publicum emittam ante auditas omnes illorum Apologias: cum tamen jam per duos annos integros eorum Actores quotidie audierimus.

Prolixam itaque hujus supplicationis confutationem elucubravit Didacus Alvarez, Clementi VIII. a Generali Ordinis Procuratore die undecima Maii traditam, addito Libello supplicis, quo fufiorem scriptiorem in pauca contulerat. Hunc Latini jure donatum subjecimus.

BEATISSIME PATER.

(2) Sanctitati Vestre quamhumillime supplicamus, ut certa capita, in Patrum Societatis

Li-

(1) Ex 5. Relat. D. Pegna. (2) Ex Italico Latine datur.

Libello exposita, attento animo reputare velle.

1. Pro more, inquit, in Scriptores Catholicos, atque in civis degentes, servari solito, &c. Mos servari solitus ille est, ut Libri ab institutis Congregationibus, aut aliis quibusvis ab Apostolica Sede deputatis, prius Censura notentur, quam citentur Auctores: tum, si quæ notata sunt, emendari possunt, præsertim ubi fidei res agitur, suspenduntur; ac demum ultra pergitur, ut doctrinæ ratio postulat.

2. Dominicanos ratos, se plausum facilius affecturos &c. Equidem, si virorum eruditorum, ac religiosorum plausum ambire Prædicatores, innuat, bene est: at si gregis auriti, & extremæ concionis acclamationes captare illos, intelligant; nusquam Prædicatores hujusmodi quidquam quasi inveniuntur: quod in Patrum Societatis æquiori fortasse titulo regeri possit.

3. Si controversie caput declinarent, &c. Controversie caput in hoc semper devolutum est, ac etiam hodie devolvitur; nimirum in efficaciam Divinæ Gratiæ, illiusque exponendæ modum, a Molina inventum, atque vulgatum. Nusquam difficultatem illam Prædicatores effugerunt, Immo cum illorum Sodales Provinciæ Hispaniæ, conscientia stimulo ducti, causam hæc totam ad Tribunal Inquisitionis Hispaniæ detulerint, in hoc deinceps continuo insisterunt, ac in præsentia etiam instant, ut ea doctrina profcribatur: Idque ipsum est, quod Patres Societatis perpetuo declinarunt, ac declinant etiamnum hodie.

4. Nihil sibi nobiscum esse, sed cum unico Ludovico Molina &c. Equidem inter utriusque Ordinis Theologos alias ab ea, quæ Molinæ doctrinam attinet, enatas esse controversias, novit Sanctitas Vestra, norunt Illustrissimi Cardinales, norunt & Theologi universi; quod quidem & in publicis Scholis, & in editis Libris, ac in ipsis quoque in D. Thomam Commentariis (quæ res præsertim stomachum movet) illibatam Sanctissimi Præceptoris doctrinam frequentius oppugnant. Uni tamen Molinæ in Generali Hispaniarum Inquisitione litem intentarunt Provinciæ Castellanz Prædicatores, religione ducti; quod ejus doctrina peior, & periculosior eis visa sit. Idcirco aperte, atque ingenue declarant sepenumero, in hunc unum actionem in præsentia instructam esse; in unam, inquam, doctrinam ejus de efficaciâ Divinæ Gratiæ, ejusque, quotquot fuerint, Sæctatores.

5. Jam vero cum passim in Hispania, Polonia &c. Cum bona venia Sanctitatis Vestre, debitaque veneratione, reponimus, totum id ab iis temere dictum. Nihil quippe hujusmodi quidquam aut ab Generali nostro, aut a deputatis Theologis, aut quovis alio, quem sciamus, dictum, vel scriptum intra, vel extra Italiam. Si vero forte fortuna inaudivere, id ab nostrum aliquo in Hispania, Polonia, aut alibi dictum esse; eodem loco rumores illi ab eis habendi erant, quo nos alios longe plures, ac forte veriores, de nonnullis illorum vulgatos habuimus: nec cæci rumores ad Sanctitatis Vestre aures temere, & inconsiderate deferendi ab eis erant.

6. In præsentia admittimus, &c. Id pro viribus pariter admittimus, & admittimus, ut Ludovici Molinæ doctrina emendetur, & hujusce S. Sedis Censura configatur, si eam Censura dignam deprehenderit: at non eo quidem animo, ut hujus unius iudicio Societatem uni-

versam, aut quamvis Academiam involvamus; nisi forte Societas univèrsa, vel Academia in ejusdem doctrinæ defensionem conspiraret. Idem nobis animus inest, voluntas eadem in quemcumque Doctorem, aut Studium generale Societatis, si eandem illam propugnandam sibi fumerent. Perinde cum illis res nobis erit, Charitatis studium cum errorum odio probaturis.

7. Certo constat, Molinæ Doctrinæ summam &c. Missis, quæ a Patre Avila, uti privato Doctore, scripta fuerint, professos scilicet Prædicatores, Molinæ doctrinæ summam, & fundamenta nihil a cæterorum Societatis Theologorum sententia differre. Immo & ex Libris eorum bene multis, & ex celebratis Congressibus, & ex scriptis, Illustrissimi Cardinali bonæ memoriæ Madrueto disto, certo colligimus, eos multis capitibus, iisque gravissimis, a Molinæ doctrina procul abesse, uti Sanctitati Vestre facile demonstrabimus. Verum, tametsi ita res esset, uti est utiunt; cum harum opinionum vexillum extulerit Ludovicus Molina, eaque se scribere, professus sit, quæ nulli ante mortalium, ac ne ipsi quidem Augustino, alterive Ecclesiæ Magistro in mentem venerint; de illo præsertim institutum examen arbitramur; petendumque censumus totius causæ initium ab ejus novitatum emendatione.

8. Cum a multis, iisque gravissimis Auctoribus &c. Certe in hanc diem minus liquet, tot graves Scriptores Ultramontanos Molinæ doctrinam approbasse; nisi forte aliquos Societatis Professores, eorumque discipulos; ac illos quidem nec tam multos, nec tanta auctoritatis viros, ut exponitur in libello. Hoc & addimus, nobis in hanc diem visam doctrinam illam, non paucis hæresibus admodum affinem, minime vero iis ex diametro repugnantem; Decretis autem Concilii Tridentini, si penitus perpendantur, non ita consonam, ut ostenditur. Quæ duo ab octo illis, aut decem Censoribus, a Vestra Sanctitate deputatis, observata fuisse, spes nobis est. Nec idcirco ea fiducia veniendum, ut etiam Concilium œcumenicum indicendum innuat, quo privati Doctoris, & inferioris notæ Commentatoris Liber ad examen vocetur; Quandoquidem post collata hætenus studia, post accepta, ut fertur, Academiarum, Episcoporum, ac Theologorum suffragia, potest Sanctitas Vestras veritatem Catholicam fancire extremo iudicio, cui nemo Catholicus repugnabit.

9. Quo capite nihil eum a cæteris memoratis distare, existimamus &c. Quod attinet efficaciam Divinæ Gratiæ, de qua sermo venit, censet Ludovicus Molina, uti multis in locis apertius exponit, Gratiæ præventivam, ut a Deo est, non esse efficacem; sed suam fortiori efficaciam, ut ait, ab eventu, a consensu nimirum, & cooperatione Liberi Arbitrii: qua in re a celebrioribus Societatis suæ Theologis impugnatur; uti & in aliis gravissimis doctrinæ suæ Capitibus.

10. Nonnullas loquendi rationes, minus forte in D. Augustinum, & D. Thomam reverentes &c. Immo loquendi rationes admodum injurias: quippe qui eo devenit audacia, ut dixerit, ex disputationibus Augustini contra Pelagianos, ejusdemque doctrinæ, totius Ecclesiæ iudicio consecrata, tot fideles fuisse turbatos, & ad Pelagianorum castra transisse: tametsi oppositum plane in S. Prospero ad Rufinum legere est.

11. Controversie capite, quod illi cum cæteris commune est &c. Et id iterato reponimus, Mo-

Molina doctrinam, quoad ipsum Controversiæ caput, unde sit efficacia Divina Gratia, nequaquam ei cum cæteris communem esse, sed singularem, & a multis etiam Societatis Theologis impugnatam.

12. *Uti Sanctitas Vestra in Hispania præscripsit* &c. Decretum Sanctitatis Vestrae, in Hispaniam transmissum, datis ad Nuncium Apostolicum literis Illustrissimi Cardinalis S. Severini die 26. Februarii 1598., ita habet: *Sanctitas Sua, temperato pristino interdico, P.F. Prædicantibus facultatem concedit, ut libero possint de materia Auxiliorum Divina Gratia, & eorum efficacia, juxta doctrinam D. Thomæ legere, ac disputare, ut antea fecerunt: & pariter Patribus Societatis, ut possint & ipsi legere, & disputare de eadem materia, legendo nihilominus semper sanam, & Catholicam doctrinam.* Ex quibus Decreti verbis, nullo pacto extendi potest, justissime Sanctitatem Vestram, ut ea sententia in Hispania, uti probabilis habetur.

13. *Id vero pro certo habeat Sanctitas Vestra* &c. Ostendit Prædicatores Sanctitati Vestrae, aut alijs pro arbitrio delegandis, (quod & hæcenus datis scriptis demonstrarunt) ab D. Augustino & D. Thomæ procul abstraxisse qui novas illas opiniones in scholas intulerunt; quod & Molina ipse sincere, atque ingenue vulgatis Libris professus est. Aliter si sensit Academia Complutensis, scriptove testata est, (quod tamen ex ejus Censura minus colligi, existimamus) potuit & illa aberrare, uti & aberravit alias Academia Parisiensis, altioris longe auctoritatis, & fame, dum in doctrinam D. Thomæ Decretum edidit. Ut ergo Theologi Parisenses, rebus maturis expensis, Decretum illud suum resciderunt; ita & Censuram rescinderent Complutenses, ubi, assurgente veritate, Molina librum notari cernerent, & castigari. Quamquam & id addi posset, omnes pene hujus Academiae Magistros studiorum tyrocinia sub Societatis Professoribus posuisse; nec non etiam Salmanticensem Academiam, aliasque Hispanicas sentire longe aliter.

14. Prædeterminationis vocem, maxime vero physica vocabulo adjunctam, &c. Et hæc ipsa Prædeterminationis vox & sensu, & sono in D. Thomæ inventa est: ut etiam Physica vocabulum quoad sensum in ejusdem doctrina reperitur manifeste; quatenus nempe reale quidpiam significat ex parte potentie motæ, applicatæ, ac determinatæ, pro naturæ suæ conditione, ac modo, seu necessaria illa sit, seu libera. Has ipsas Physicæ, & moralis voces usurpant Interpretes D. Thomæ bene multi, aliique Theologi non pauci, ac ipsi quoque Societatis Professores.

15. *Verum Sanctitati Vestrae fuisse videtur* &c. Ea exculatio, nusquam petita, sed sponte data, plus satis probat, eos dubio procul suspicatos, Sanctitatem Vestram id ipsum æstimatam, quod & Prædicatores æstimarunt hæcenus, ac re ipsa tandem experti sunt; id unum scilicet Societatem perpetuo spectasse, ut Molina causam singularem, ac peculiari judicio eliquandam, alijs peregrinis involverent, ne unquam emenderetur; nullumque non movisse lapidem, ut judicium morarentur. Sed & id stupendum magis, tanta eos fiducia jactare, privati Auctoris Librum notari Censura non posse, nisi ingens periculum subeat univèrsi Orbis commovendi. Prædicatores contra certo statuunt, Catholicorum neminem repugnaturum, si quid

ab Apostolica Sede aut in eo, quod vertitur, fidei capite, aut quovis altero sanciretur. Id probatur illis, hæreticos nusquam ex latis fidei definitionibus læticia affectos, nusquam Ecclesiam earum occasione perturbatam; quin potius ex his & depressos hæreticos, & Ecclesiam pace donatam. Hoc demum illis alta mente repositum, ubi semel Sanctitas Vestra Catholicam veritatem de controversia questione definiat, neminem plane repugnaturum, nisi qui Pontificiam auctoritatem in dubium verterit, Petro datam, cui a Christo dictum est: *Rogavi pro te, Petro, ut non deficiat fides tua.*

16. *Si Sanctitas Vestra Breve Pontificium ederet* &c. Quod attingit propositam expediendi negotii viam, ut nempe Sanctitas Vestra Breve Pontificium edat, quo utramque Sententiam sua frui probabilitate sinat, & unumquemque suo sentiendi committat arbitrio; exponunt, qua par est, reverentia P.F. Prædicatores; fidei causam hic agi, quam a Sanctitate Vestra opportuna definitione, certoque judicio eliquatum iri, bene sperant. Interim, ut obsequiosissimi Apostolicæ Sedis, Vestraque Beatitudinis filii, judicium suum omne Sanctificandis pedibus subjiciunt: Deum Optimum adprecantur, perpetuoque adprecantur, ut in hoc, aliove quocumque negotio, Vestra Sanctitati suggerat, quid melius e re Catholica fuerit, Christi obsequio, Ecclesiæque tranquillitate, ac pace; utque illos emendet, ac deprimat, qui turbas agere, motusque excitare molentur.

Ea Prædicatorum supplicatione, alioque prolixiori scripto dato, & diffusa arte, & vani terrores abunde depulsi fuissent, nisi meditandis, ac quaerendis diviticulis indefessi, Jesuitæ alterum superiori de scriptum obtulissent, quo rem totam novis difficultatibus implicarunt.

Certe scibi unquam, hic maxime artem mirari licet, ad subliniendi imprudentium ora dextere compositam. Scriptum sic auspicantur: (1) *Sententiam, quam Theologi Societatis consonam esse existimant cum doctrina Concilii Tridentini, S. Augustini, S. Thomæ, ac Doctorum antiquorum, continetur his quatuor propositionibus, quæ in hoc scripto subjiciuntur. Quæ sententia licet S. D. N. constare possit ex scriptis, ab Hispania transmissis, quam sit in illis Universitatibus recepta, & a doctissimis Prelatis approbata, nihilominus ex Thestibus impressis, aliisque authenticis testimoniis, quæ apud nos exstant, hæc extraximus. Ex quibus patet, in omnibus fere Universitatibus, & Religionibus viros insignes eidem sententia, non solum ut probabili, & secure, sed etiam ut vera, & certa subscribere, eamque tum Superiorum suarum Religionum, tum ipsarum Universitatum licentia, & publice defendere, & prelo mandare. Quatuor itaque propositiones distinguantur, quibus stat Molina, ac Societatis doctrinæ summa: variasque thesum lacinias confutant, quibus earum propositionum singulæ a privatis variorum Ordinum Theologis defendatæ fuerant.*

Datum est Prædicatoribus, ut responderent. Satisfecerunt duplici scripto: (2) Primo quidem quatuor propositiones, quibus doctrinam suam compendio expresserant Jesuitæ, S. Augustino, D. Thomæ, necnon Concilii Africanis, adversus Pelagianos celebratis, contrarias demonstrarunt. Altero porrecti a Jesuitis scripti fallaciam multiplici capite detexerunt.

I. Quod incredibilem audacia Summum Pontificem

cem ad Hispaniensium Academicarum, & Episcoporum Censuras auscultandas provocasset, quasi Societatis doctrinæ favissent; cum illam e contra adeo severe damnasset, ut Congregationis Romanæ judicium earum comparatione mitissimum videretur.

II. Quod multo pauciores essent quatuor propositionum defensores, quam in oblato scripto fingebantur: quia iidem pene uniuscujusque propositionis vindices afferbantur, iidemque quater laudati, ac nominati recurrebant; sic ut unus omnino, eodemque in theatro quadruplicem scenam ageret.

III. Quod recentium duntaxat Theologorum essent theses illæ, atque ab eo solummodo tempore in Hispaniam propugnata, quo post violationem Mandatorum Apostolicorum, ab Inquisitoribus Hispaniæ tentant, Molina doctrina, uti probabilis, admissa putabatur. Quo casu delusi Theologi ejus in partes incaute venerunt, a quibus (si fraudem nosse licuisset) quam longissime recessissent.

IV. Quod earum thesum defensores omnes privati viri forent, eorumque bene multi ab Academia Apolinibus, quorum Religiosi erant, improbi fuissent. Et quidem nonnullæ Toleti, ac Salmanticae propugnatae afferbantur, ubi Moliniana doctrinæ capita bene multa ab Archiepiscopo, & Academia non ita pridem damnata fuerant. Aliæ a quibusdam Carmelitanis strictioris Instituti, Religiosisque Minimis defendatæ addebantur, apud quos communi Ordinis assensu S. Thomæ doctrina, uti a P.F. Prædicatoribus propugnatur, in præcepto est.

V. Loco addi poterat, (si id tunc temporis scire licuisset) theses illas non tam defensorum voluntati, quam Jesuitarum industria tribuendas; quippe qui Religiosos, quavis arte poterant, inelcabant ad Molinianas opiniones ebibendas, ac propugnandas. Ita deinceps Inquisitioni Generali significavit Franciscus Pegna, Rotæ Romanæ Decanus, die 12. Januarii 1602. *Effreni omnino licentia in omnibus pene Hispania parvibus defenditur Molinismus. Omni, quo possunt studio adinvenitur Molinæ fautores, ut ejus opiniones ebibant, defendantque omnium Ordinum Professores, quos sua in studia modis omnibus pertrahunt: utque suas hic opiniones ostentent, theses, in sui gratiam a variis propugnatas, Romæ disseminant. CORRE tamdem inveniendi ardua sœcula, et defendere la opinion de Molina, en todas las partes de estos Reynos. Procuran con diligencia sus fautores, que la defendan en todos los Conventos de todas las Religiones; que ellos pueadan atraer à su devocion. Y para calificar su opinion, muestran en Roma las Conclusiones, que tales, y tales defendieron en su favor. Quamquam & elumbe admodum est, ex aliorum thesibus petittum, argumentum, quas bene multi ad verus Magistorum suorum Institutiones, ad ingenii ostentationem, potius quam ad veritatis confirmationem, propugnare solent. Et tamen, si Superis placet, has nobis lacinias tanquam Sybillæ folia venditat novissimus Disputator, maximumque in iis Moliniana causæ præsidium ponit.*

Depulsis ergo hac duplici responsione novis artibus, aliam agendi rationem inire. Dimisso Clemente VIII., cujus mentem frangere nequiverant, vim suam omnem ad sedendos Censuram animos converterunt. Salmantica potissimum tentatum est: cum enim Romanos Censores hujus Academiae decretis, quibus Societatis novi-

tates proscripterat, plurimum detulisse, cernerent, vulnus ea parte curandum existimantur.

Tractari quidem illud potuit, non fanari; quippe non il erant Salmanticensis Academiae Theologi, qui Censuras suas rescindere, vel temperare ullatenus vellent. Commendatitias duntaxat Epistolas a privatis aliquibus extorserunt; qui Societatis, ac Molina causam Censoribus commendarent, aut eam ab amicis juvari, rogarent.

Primi ad Ordinis sui Procuratorem, in Romana Curia constitutum, scripsere Monachi Benedictini Salmanticenses die 31. Julii, ut Moliniana causæ patrocinaretur; tum ob impensa sibi a Societate beneficia, tum ob contractam ejusdem urgendæ causæ obligationem: (1) Cum enim Societatis opiniones, uti S. Anselmi placita, publicis thesibus non ita pridem propugnasset, in causæ communionem necessario veniebant. Ad eundem hac ipsa die scripti etiam Hieronymus Marton, Abbas Vallisoletanus ejusdem Ordinis, parique studio Molina causam, suo apud Romanæ Curia Magnates patrocinio juvandam, commendavit.

Non absimili modo Augustinus Antolines, Ordinis S. Augustini, Joanni Baptista Plumbino, e Censoribus deputatis uni, datis die 12. Augusti efficacissimis Epistolis ad impendenda Societati officia instituit. Gregorius Coronellum, Congregationis Secretarium, litteris pariter rogavit, ut si ei Summus Pontifex Censuram Molinæ committeret, eidem tum ipse merito, tum sui gratia adfaveret.

Die etiam Septembris 23. Joannes Marquestus, Augustinianus, Joanni Baptista Plumbino per Epistolas supplicavit, ut non Molina tantum, sed & Vasquesio gratificaretur, si propositiones ejus aliquas ad Sedem Apostolicam deferri contingeret; tum quod sibi doctrina ejus Augustiniana videretur, tum quod ei multis nominibus Augustinienis Ordo obstrictus esset.

Ejusdem causæ patrocinium ardentiori zelo suscepit Joannes Garcia Coronellus die 18. Octobris in suis ad præfatum Plumbinum Epistolis: non enim eum ad ferendam Societati opem duntaxat rogavit, sed & in physicam Prædeterminationem acriori stylo declamavit, quam a suis, & a P.F. Minoribus impugnatam passim afferunt.

Tot illæ familiarium, & amicorum preces Plumbini constantiam violarunt, & ad decantandam palinodiam adduxerunt; effectumque est, ut qui in primo examine Molina doctrinam Pelagianam damnaverat, eandem in examinis, hoc anno, alteroque sequenti habitis, uti probabilem, sæpius defendere: quamquam tamen sanioribus subinde consiliis avocatus; in pristinam sententiam redierit, Molinaeque damnationi subscripserit.

Æquiori stetit animo Benedictini Ordinis Procurator generalis, commendatitias licet Epistolis lacessitus a suis. Ab Viro Instituti sui primæ notæ, Antonio Cornexo, Abbate S. Jacobi in Gallæcia, primariæ olim Cathedræ in Academia Salmanticensi Moderatore, scire voluit, quid rei esset, quoque animo in Molina defensionem suorum aliqui consensissent. Rescripsit eruditus Abbas, totum id a nonnullis privato in Societatem studio factum, nulla cum cæteris habita collatione: Instituti Benedictini Professores, maximam partem, in Prædicatorum sententiam conspirare: atque idcirco nec audiendos Romæ Societatis A-

(1) *Exstat in Colle. Coronelli, Pegna, & Lemosi. (2) In Miscell. Lem.*

(1) *Exstat Epistola illa in Archivo. Dominus Professa Romæ: & apud Paul. Lem. I. & p. sec. 8.*

flores, si forte vagos illos de impensio sibi ab Hispanis Benedictinis parrociniis rumores evulgarent; nec ferendum omnino, quod universum Ordinem Molinæ partibus additum effutirent, ob pauculos illos suffragatores, quorum studia a cæteris minime probarentur. Do Epistolam integram, cujus autographum inter Clarissimi Pegnæ Adversaria videre contigit.

(1) Reverendissime Pater. Castellam, atque inde Salmanticam profectus ad examen religiose nostræ juventutis, que in Collegio nostro S. Vincentii Theologie tyrocinia ponit, rem didici permolestam, que mihi, ut verum fatear, dolorem intulit longe maximum. Romam scilicet missas audivi Thebes aliquas, in Comitibus generalibus proxime habitis, Preside M. Salazario, propugnatas, privato nomine, atque sententia; queis tota videtur Molinæ Doctrina de divinis auxiliis, actuumque liberorum Prædeterminatione contineri. Has Romæ palam ab Jesuitis ostentatas audio, qui etiam hanc communem Magistrorum, & Professorum Institutum nostri sententiam esse, dicunt. At, si sic est, remane prolixus id effusum. Novit quippe Paternitas vestra, Institutum nostri Professores inter divi Thomæ Discipulos ceteri communi Scholastica nostrarum suffragio; atque adeo Thomisticam Sententiam communem Institutum nostri doctrinam reputari, oportere. Quamquam vero in ea, que Dominicanos inter, ac Jesuitas movetur hodie, controversia varia circumferantur opiniones; tutiorem nihilominus viam inis Professorum nostrarum pars nobilissima, eam nempe, que D. Thomæ, ejusque Discipulorum est. Primariam Cathedram Vespertinam annos non paucos occupari: Thomistarum Sententiam & ab aliis semper traditam audiri, & tradidi ipse non eo solum nomine, quod mihi ex Academia Statuto S. Thomæ Doctrina legenda esset, sed quod ex mihi semper sententia probata sit, quam mihi Magistri veteres, velut ex asse heredi, reliquerunt. Atque ita nostri communiter sentiunt. Quare, si quid forte Romæ hac occasione moveri, atque attentari cõtingerit, iis firmiter habeat Paternitas vestra, que rescribo: Ita quippe se res habet. Quid de Molinæ doctrina sentiam, sicut scripto significarem, nisi ex publico Edicto S. Officii vestrum esset, ne quis interrim, pendente lite, Censuram ferat. Pergratum mihi faciet Paternitas vestra, si quo loco Auxiliorum Controversia sit hodie, rescribat; & numme certa spes affulgeat, ut brevi rem totam Sanctissimus Pater judicio dirimat. Vale, Datum Compostelle die ultima Julii 1603. ANTONIUS CORNEJO, Abbas S. Jacobi in Gallicia.

Et rescripto attonsus est Leodius Disputator, qui (2) commendatitias Benedictinorum Salmanticensium Epistolam, & defensas in generalibus Comitibus Conclusiones, ut communis totius Institutum sententia testificationes, ostentavit. Cæteras privatorum Augustinianum Epistolam, queis non modicum Molinæ causæ præsidium ponit, minus moror: quod neminem iniquum adeo forte, putem, ut eas publici suffragii loco habere velit. Si quis tamen communem clarissimi Ordinis de Molinæ doctrina, sententiam scire avert, non illam quidem privatarum Epistolarum laciniis contentam, sed publicis statutis, ac decretis expressam; legat, quæ ad calcem h. 8. Præfationis nostræ adnotavimus, & Leodiensis Disputatoris levitatem agnoscat. Certe, si quid ex commendatitiis Epistolis agitata causæ præsidii, ac juris accederet; quis Prædicatores ita ab amicis inopes dixerit, quin senas tota Hispania Litteras ærufcissent, ut Iudices suos facerent? At non ii erant, qui fordibus precibus, & indecora prehen-

sione, sacra jura, melioribus notis inscripta, tueri vellent.

CAPUT XI.

Novas compositionis condiciones rogant Jesuitæ: quibus rejectis, alias artes meditantur.

Ensuræ recognitioni jam a mensibus quatuor incumbant selecti Consultores, ac prope erat, ut eam absolvent, cum Jesuitæ, infantum exitum metuentes, novas compositionis condiciones quaerere.

Achillem Gagliardum, virum quidem minus eruditum, sed in gerendis negotiis, ac tacite submisserunt, qui compositionem privato nomine rogare fingeret; ne, si res minus prospere accederet, Societatis honor in discrimen adduceretur. Has ille ineunda concordia condiciones obtulit. Primo, ut propositiones nonnullæ, ab utraque parte ultro admittæ, mutuo consensu definiuntur. Secundo, ut, isdem semel constitutus, nonnulla quoad quæstiones, utrimque controversas, servandæ charitatis, ac pacis capita sancirentur.

Propositiones mutuo consensu definiendas proposuit numero undecim: sunt porro sequentes. (3)

I. Deus habet distinctam, ac perfectam providentiam omnium actuum liberi arbitrii, & ad singulos in particulari effective, & immediate concurrat.

II. Voluntas creata indiget auxilio adjuvante, ut accipiat supernaturalem virtutem operandi, & una cum illo actum supernaturalem eliciat.

III. Indiget etiam auxilio præveniente, ut per illud exciteretur, & disponatur ad eisdem actus elicendos: idque non solum extrinsece per objecti repræsentationem, sed intrinsece, illuminando intellectum, & inclinando voluntatem ad consentium.

IV. Hoc prævenientis gratiæ auxilium datur pro solo beneplacito divinæ voluntatis: unde efficitur, ut initium fidei, & justificationis a solo Deo sumatur, nullo modo a nostro Libero Arbitrio.

V. Præter hoc requiritur supernaturalis Dei concursus, quo una cum libero arbitrio, tanquam prima, & principalis causa, liberam ejus determinationem, & consensum immediate efficiat.

VI. Auxilium divinum aliud est sufficiens, quo homo potest converti, aliud efficax, quo facit Deus, ut infallibiliter convertatur. Per hoc in divinis Scripturis dicitur homo *trahi*; *preparari voluntas a Domino*; *Deus operari in nobis velle*, & *perficere*: & secundum D. Augustinum a nullo suo corde respuitur; *ex volente volentem facit*; *ac per illud ex humana voluntate facit Deus*, quod *vult*; Et hæc omnia, salva atque illaesa humana libertate, fiunt.

VII. Auxilium hoc efficax provenit ex intentione Dei efficaci, & proposito absoluto convertendi hominem; ex solo divino beneplacito datur; aliter non; absque ulla causa, quæ sit in hominis potestate.

VIII. Ab æterno prædestinavit Deus absoluto decreto, ac beneplacito suæ voluntatis, gratiæ consenturos; & hi tantum infallibiliter salvi erunt; alii non.

IX. Prædestinationis nulla datur causa ex parte humanæ voluntatis.

X. Per Prædestinationem præparantur gratis

media omnia efficacia ad salutem; per eam disternuntur electi a reprobis; ut propterea non habeat ullus, in quo gloriatur; nec sit volentis, neque currentis, sed Dei miserentis; certus sit electorum numerus, ab ea constitutus; nullus præter prædestinatos sit salvandus; & ad iudiciorum divinarum altitudinem sit referendum, quod hic salvetur; alius non.

XI. Liberum Arbitrium, quacumque gratia motum, & excitatum, potest, si velit, consentire, & dissentire.

Pacis, & unionis capita prolixi octo sequentia.

I. Cum de modo efficacæ Divinæ Gratia sit controversia; quousque certi aliquid a Sede Apostolica decernatur, liceat unicuique sentire, quod voluerit.

II. Utriusque partis sententia permittatur.

III. Tollatur omnis censura hæresis, vel erroris, sive Pelagianismi, sive Calvinismi: tum omnis injuria, ac offensa; utriusque illata; & hoc quidem quoad libros impressos: in posterum vero in iis, quæ scribentur, omnino prohibeantur.

IV. Liceat singulis impugnare sententiam alterius validioribus, quibus poterit, argumentis; iisque non solum petitis a ratione, qua humana libertas probetur non salvari, vel contra, gratiæ efficaciam tolli, & similibus; sed & ab auctoritate Divinæ Scripture, Augustini, B. Thomæ, & aliorum Doctorum. Hoc enim passim fit in aliis Theologia dogmatibus summa cum pace fidelium, multumque valet ad veritatis inquisitionem, assertque decus, & splendorem maximum ipsi Ecclesiæ Catholica.

V. Nulla sententia defendatur nomine totius Ordinis vel D. Dominici, vel Societatis; sed detur locus unicuique sentiendi pro libito.

VI. Modi quidam loquendi, sive scribendi utriusque, qui non tam bene sonare videntur, & facile possent non ad opium habere, iussu Superiorum quam primum emendentur ab Auditoribus.

VII. Generales Ordinum, & potissime D. Dominici, & Societatis his omnibus expressum consensum præbeant; curentque diligenter, ut ab omnibus serventur.

VIII. Ut Sanctissimus eos convocare dignetur: & omnia sua auctoritate communicare, post pedis osculum, omnes supplices exorent. Idque per totum Orbem publicetur.

Sic ille de suscitatis controversiis blande loquebatur. Ea interim fiducia rem urgebat, ut illum Reipublicæ litterariæ dictatorem nemo non crederet. Novi, ut putabat, inventi beneficio, in Pontificis sacrarium irrepit, desideratam pacem partibus dissidentibus allaturus. Expansa hilariter fronte, atque ore residentis a Clemente exceptus, de meditata pace, cum venia præfatione, dixit paulo prolixius. Quare bis, terque admonitus, ut sermonem in pauca contraheret, demum ad Cardinalem Bernerium, Episcopum Afulanum, missus est, ea de re majori otio tractaturus. At obviit Eminentissimi Viri ægritudo, ne tam cito cum ipso conferret. Interea vero Prædicatores oblatas compositionis condiciones respuerunt; callidamque Oratoris industriam, oblato Pontifici scripto, dissiparunt in hæc verba.

Cum omnes undecim conclusiones, sive propositiones, quas legimus in Scripto R. Patris, nihil novi afferant præter illa, quæ Patres Societatis in Congregationibus, & in scriptis suis concesserunt; sicut illa visa sunt nobis, quamvis vera, non sufficere, ut satisfaciatur iis, quæ de efficacæ auxilii prævenientis Gratia tradunt Scripturæ, Concilia, & Sancti, præcipue Au-

Serry Tom. I.

gustinus, & Thomas: ita modo in eadem sententia persistentes credimus, (sub Censura Sedis Apostolicæ) aliquid amplius esse tribuendum prædictæ Gratia efficaci, quod sequentibus declaramus propositionibus.

I. Propositio. Deus auxilio efficaci prævenientis gratiæ active proprie facit, ut pie operetur; & operatur in nobis liberum actum, quo in ipsam convertimur, quamvis non sine nobis, simul tempore consentientibus, & cooperantibus.

II. Efficacia prædicti auxilii, tota est a Deo, & nullo modo dependet ex libero consensu nostri arbitrii, quovis modo a Deo præcogniti; quia potius talis consensus est effectus ejusdem auxilii in genere causæ efficientis vere, & proprie.

III. Quamvis hæc duo sint simul compossibilia; Homo movetur a Deo prædicto auxilio, ut convertatur; & iste homo potest non converti: hæc tamen duo sunt simul incompossibilia: Iste homo movetur a Deo prædicto auxilio, ut convertatur, & iste homo non convertitur, sed resistit.

IV. Unde cum efficacæ prædicti auxilii simul fiat actualis usus nostræ libertatis.

His constitutis utriusque partis consensu, videtur expedire, ut in aliis, in quibus varia sentiunt Patres Prædicatores, & Jesuitæ, sive quoad substantiam, sive quoad modum loquendi, expectarent omnes Censuram Congregationis; & quæ Sanctitas Sua decreverit ab omnibus esse recipienda, humiliter recipiantur, sicut decet; & quæ decreverit esse rejicienda, ab omnibus rejiciantur; & juxta illa corrigantur libri utriusque partis jam impressi; & de cætero nullus audeat consimilia defendere, aut typis mandare.

In his vero, quæ judicaverit esse in hac parte probabilia, unusquisque in suo sensu semper abundet.

Illud vero, quod dicitur in secundo puncto, quod videlicet utriusque partis sententia permittatur, advertimus, quod si hæc petunt Patres Societatis, jam videntur sentire, in sententia Prædicatorum circa efficaciam gratiæ nullum esse periculum Calvinismi; non enim est credendum de piis Patribus, quod peterent, nostram sententiam tolerari, si existimarent, aliquid quem errorem continere; & juxta autem Prædicatores, cum sentiant adhuc, in sententia adversa esse magnum periculum Pelagianismi, nullo modo possunt convenire in hoc, quod utraque sententia permittatur.

Nullo modo videtur convenire, quod una pars non possit inter legendum; & scribendum damnare sententiam oppositam, vel aliam censuram tribuere, quam ex definitis ab Ecclesiæ credit mereri talem sententiam.

Consilium itaque suis repugnantem Prædicatores expertus Gagliardus, Summum Pontificem secretioribus Epistolis convenit, exploraturus, num superam auctoritatem ad eorum vincendas difficultates interponere vellet, non enim aliter eas superandas existimabat. Scripsit igitur in hunc modum, transmissis simul tentatæ compositionis articulis.

BEATISSIME PATER.

Illustrissimi Cardinalis Afulani ægritudo ad hæc usque tempora obviit, quominus ea de re tractarem, quam mihi Beatitudo Vestra cum ipso gerendam commiserat. Interea, tamen aliqua cum Patribus Prædicatoribus superfit difficultas, quam ille vincere fatigat; duo ista scripta ad Beatitudinis Vestre pedes mitrenda

P

judi-

(1) Ex Hispano Latine redditur. (2) Quæst. 1. cap. 6. (3) Exstant hæc instrumenta in Biblio. Ang. vol. fig. H.

judicavi, quæ modum complectuntur, pro com-
ponenda adeo periculosa, tantisque scandalis,
ac malis obnoxia controversia, a me propo-
situm. Horum unum prædictum modum comple-
ctitur; alterum prædicti modi rationes Beati-
tudini Vestre proponit, ostenditque, quantum
expediat. Ill. Cardinalis verbo referet, quæ
ad Prædicatores attinet, cum quibus coram ip-
so locutus sum, ac sæpius etiam agere pergam,
quanta confidentia, ac pace fieri poterit.
Si congruum judicaret Beatitudo Vestra alter-
am etiam sententiam proponere, quæ inter
controversas media staret; ipsi ego significo,
eam, quam ipse propugno, hujusmodi esse;
quia & auster Prædeterminationem, ut magis
in tuto ponat dogma de libero arbitrio, & effi-
caciæ divinæ plus tribuit, quam ei tribuant
Patres nostri; juxta doctrinam claræ SS. Au-
gustini, & Thomæ. Siquidem videtur mihi,
hanc esse doctrinam antiquam, ac Patres Do-
minicanos, uti & nostros, nova addidisse, &
ab aliis minime tradita; atque ex ea novitate
contentiones enaspi.

Paratus sum ad pedes Sanctitatis Vestre, ac
quo liberit modo rationem reddere hujusce
meæ opinionis, & duorum istorum scriptorum.
Jam tribus vicibus de ea opinione cum Patri-
bus nostri consuli, solvique difficultates omnes
ab ipsis propositas, multaque cum pace, &
unione. Eos etiam paratos inveni ad admitten-
dam doctrinam meam, eamque simul cum altera
publicandam relinquere. Ego tamen paratos
agnovi ad utrumque propositæ compositionis
scriptum admittendum. In Patribus Prædicato-
ribus duntaxat repugnantiam aliquam inveno,
quæ facile Ill. Cardinalis Acellani prudentia,
ac potissime Sanctitatis Vestre auctoritate su-
perari poterit, ut ad finem perducatur nego-
tium istud, toto Orbe maximum. Hanc Beati-
tudini Vestre gratiam, multosque ad obse-
quium suum annos largiatur Deus. Ex domo
nostra die 20. Augusti 1600.

Beatitudinis Vestre pedibus provolutus
ACHILLES GAGLIARDI.

Verum evanuerunt tot illa Gagliardi studiosa
consilia, intercedentibus Prædicatoribus, ne com-
positio iis conditionibus iniretur. Hinc tamen in-
telligere est, quam parum Jesuitæ propriæ causæ
meritis fiderent, qui Prædicatorum doctrinam,
quam Calvinismi sæpius fugillaverant, permissi-
tandem postulabant, & a propria sententia (quam
novam, ac SS. Augustino, & Thomæ aperte re-
pugnantem fatebantur) discedere non detreca-
bant, ad nova Gagliardi placita ebibenda: cum
et contra Prædicatores compositiones quascumque
ingredi nolent, mediæque pacis vias, a partibus
oblatas, constanti animo repudiarent.

Fallicorem exitum non obtinuit tentata sub
idem tempus a Francisco Arriva, Ordinis Mino-
rum, utriusque Scholæ concordia. (1) Exstat
hujus Auctoris Opusculum, eo fine elucubratum,
& Clementi VIII. traditum: unde jejunam, exi-
lemque Viri Minervam dignoscere liceat. Duo
quippe principia ponebat, ex quibus se omnia fa-
cile compositurum, confidebat. 1. Scilicet distin-
guebat Deum, quatenus per auxilium gratiæ, &
voluntatem integram fortiter attingit effectum, &
fortiter operatur in ordine suo independentem a tem-
pore: & quatenus suaviter disponit, & suaviter
operatur per auxilium gratiæ, & per voluntatem
creatam in ordine nostro dependentem a tempore. 2.
Distinguebat voluntatem, quatenus est instrumentum
æternæ illius voluntatis Dei; & quatenus secundum

(1) In Bibl. Ang. & in Miscel. Lemos.

se, & propriam naturam attenditur. Tum subin-
ferebat, solam Prædicatores inter, ac Jesuitas
terminorum, ac vocum controversiam interce-
dere.

Perinde etenim verum, ac falsum esse, con-
tendebat, quod auxilium, cui homo consentire,
sit de se, & infallibiliter efficac; quod sit
independentem a consentientis arbitrio; quod sit
efficax antecedenter; quod non sit in potestate
voluntatis creatæ, illud reddere inefficax. Hæc
siquidem omnia cum Prædicatoribus vera affirma-
bat, si sermo foret de actu illo æterno; quo
Deus præparat, disponit, attingit fortiter volun-
tatis creatæ operationes; & si sermo foret de
Divina Gratia, quatenus hujus æternæ prepara-
tionis, ac dispositionis instrumentum est. Sed &
illa omnia cum Jesuitis falsa contendebat, si age-
retur de actu illo, quo in tempore Deus suaviter
voluntatem disponit, ac movet; & de Gratia,
præsertim secundum suam entitatem inefficax, nulla
ad illam habita ratione, quatenus divinæ volun-
tatis est instrumentum.

De novo, ut putabat, invento sibi plaudere
bonus homo, tanquam cœli convexa digito teri-
gisset: cum contra palam omnes affereret, eum
in multæque gloriolam quæsiisse. Quot enim ca-
pitibus abereet, quamque Jesuitarum perinde, ac
Prædicatorum doctrinæ repugnet sublevis ille con-
ciliationis modus, nemo non videt; ut plane il-
lius inventori S. Prospero dictum accomodare
nobis liceat lib. cont. Collat. cap. 5. Tu informe
nescio quid, & utriusque parti inconveniens reperisti,
quo nec inimicorum consensum acquireret, nec in no-
strorum intelligentiam permaneret.

Tantum tamen inerat Societati ineundæ com-
positionis ardor, ut illam iis, licet iniquis, con-
ditionibus, pacificè, minime detreclaret. Verum
intercessit ex opposito Thomas de Lemos, pro-
pria causæ meritis confusus, quibus nulla unquam
compositione præjudicium vel minimum inferri
voluit. Clementi VIII. opusculum obtulit, inter
ipsius miscellanea etiamnum asserturum, quo su-
tilem, ac plane insulam conciliationem illam
ostendit.

Spe itaque compositionis ineundæ dejecti, ex-
trema Jesuitæ tentantur, ut doctrinæ suæ robur
adderent, auctoritatemque conciliarent. Proluxum
ad Academiæ Italiæ scriptum sub mensis Septem-
bris initium transmissum, quo Prædicatorum de
Gratia efficaci doctrinam, alienis plane coloribus
expressam, Calvinismi, & Lutheranismi damna-
bant; refutatisque Academiæ Germanicarum
subscriptionibus, alias dolo extortis, Theologo-
rum, præsertim Bononiensium, suffragium emen-
dicabant.

Quibus etiam ut facilius ora sublinirent, do-
lum duplici falsitate cumulabant: Galliæ scilicet
Academiæ in Molinæ sententiam venisse, men-
tiebantur, jactato unius Academiæ Mussipontanæ
suffragio, quam nil nisi Societatis Gymnasium
esse, nemo nescit; atque illud quidem non in
Galliis, sed in Lotharingia situm. Ipsos quoque
Theologos Lovanienses, Sixti V. judicio a pri-
stina sententia revocatos, in Societatis doctrinam
consensisse, dicebant. Immo & Doctores Lovani-
enses; (inquietabant suo illo transmissio Scripto)
quævis olim contrarium senserint, postquam intel-
lexerunt, jussu Pontificis Sixti V. hanc secundam sen-
tentiam fuisse examinatam, & judicatam sanam do-
ctrinam; nunc ei adherent, ut ex eorum Theologis,
& scriptoribus apparet. Quod quam falsum, ab-
sonumque sit, fatiis me alias arbitror demonstra-
sse, Lib. 1. Capitibus 4. 5. 6. 7.

Ve-

Verum non diu penes illos doli sui stetit usu-
ra. Machinationem detexit Inquisitor Papiensis,
& transmissi Scripti exemplaria universa interci-
pi, Romanque transferri curavit. Hæc dum pri-
mum novit Thomas de Lemos, impactam Tho-
misticæ doctrinæ, calumniam scripto propulsa-
vit, multisque probavit, FF. Prædicatorum do-
ctrinam fallaciter a Jesuitis expositam esse, ut
damnationis subscriptionem a Theologis Bononiens-
ibus extorquerent. (1) Quod idem postmodum
Romanis Censoribus visum fuit, dum, jubente
Summo Pontifice, eam Thomisticæ doctrinæ ex-
positionem anno 1606. examinarunt. Quocirca re-
currerit illa de re dicendi locus. (2)

Interea notare obiter juvat, non absimili calli-
ditate usos olim Massilienses in Augustinum. Quin-
decim Sententias breviores, & has proflus absur-
das, vulgarunt, velut ab illo assertas, ut quæ in
Libris ejus damnabilia se reperisse jactabant, brevium
capitulorum indiculis publicarent; talique commento
& detestationem ejus, quem impetrent, obrimerent;
& ab his, quæ infamassent, curam exterriti lectoris
avertent. Ita S. Prosper in Præfatione ad Ca-
pitula calumniantium Gallorum. Idem in Prospe-
rum ipsum alioque Augustinianæ doctrinæ vin-
dices tentavit Vincentius ille, cujus objectiones
solide diluit Sanctissimus Doctor. Absurda scilicet
asserta vulgavit verpellis homo, quasi ab Augu-
stinianis eadem illa defenderentur, ut communem
illis invidiam concitaret. Qua de re ita in sua
ad Objectiones Vincentianas Responsione præfatur
doctissimus Aquitanus. Quidam Christianæ, ac fra-
ternæ charitatis obliti, in tantum existimationem no-
stram quoquo modo student ledere; ut suam se everten-
te nocendi cupiditate non videant. Contextum enim,
& qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissi-
marum quarundam blasphemiarum prodigiola mendacia;
eaque offendenda, & ingevenda multis, publice, pri-
vatimque circumferunt, asserentes, talia in nostro es-
se sensu, qualia diaboli continentur indiculo: quæ
falso in nos ad excitandam invidiam jactari. Et
tamen quæ fiducia, quæ pompa nuperus Quæzio-
num Eventilator judicium, fucata, & infida do-
ctrinæ expositione extortum, uti probatissimum
Molinianæ causæ instrumentum, ostendit; non-
nullorumque privatorem suffragium, tanquam to-
tius Academiæ Censuram, nobis obrudit q. 1.

CAPUT XII.

Tertium causæ hujus examen, seu secundam primi
examinis recognitionem absolunt selecti Censores,
Summoque Pontifici tradunt. Intercedunt Jesuitæ,
novumque examen postulant.

Dum hæc interim magna animorum conten-
tione moverentur, suas selecti Censores
Congregationes habebant, ut demandatam sibi no-
væ recognitionis provinciam exsequerentur. (3)

Convenire ceperant die 27. Aprilis apud D.
Cariatensem in demortui Cardinalis Madrutii pa-
lario: tuncque primum statutum, ut bis qualibet
hebdomada, diebus scilicet Jovis, ac Lunæ, mu-
tuo convenirent. Unus iste qualibet Congregatio-
ne servatus est ordo: ut primum Censuræ, a Se-
cretario, totius venerandi Ordinis nomine, jam
editæ partem legerent, ac discussis iterum Moli-
næ verbis, recognoscerent: tum illam, sic rele-
ctam, recognoscantque, breviori forma contrahe-
nt; variis scilicet Molinæ locis, in unum dog-
ma statuendum conspirantibus, ad unam dogmati-
cam propositionem, speciali censura sua confi-
sery Tom. I.

xam, revocatis. Hinc nonaginta circiter Molinæ
loca, in Censura prolixiori notata, ad viginti
propositiones hæreticas, erroneas, temerarias, pe-
riculosas, ad quas firmandas, statuendaque colli-
mabant, compendio redacta sunt, sua cuique ad-
juncta Censura.

Hæc novissimum Quæstionum ventilatorem
scire oportuit, ne meritis Censores, in re-
spondendis Censuris cothurno versatiliore effutiret:
(4) quasi post damnatas primo examine Molinæ
Propositiones octoginta novem, viginti duntaxat
hæc tertia cognitione confixissent; maximamque
idcirco Molinianæ doctrinæ partem, priori Cen-
sura inultam, posterioribus absolvisset. Conferat,
quisquis rei periculum facere velit, octoginta no-
vem Molinæ loca, priori examine in inditum di-
gesta, (5) cum viginti dogmaticis Propositionibus,
ad quas condandas contracta sunt: dispe-
ream, si vel unum (quod attinet doctrinæ sum-
mam) absolutum invenias, suasque Censura non
inultum.

Censuræ recognitionem, ejusdemque compen-
dium absolvere die 30. Augusti; die vero 9. Sep-
tembris Molinæ damnationi subscribere. Episco-
porum nemo dissentit: e Theologis dissentere
duo, nempe Antonius Bovius, qui ut olim So-
cietatem professus erat, ita Molinæ doctrinam,
uti probabilem, semper habuit; & Joannes Ba-
ptista Plumbinus, qui commendatitius amiorum
litteris (ut vidimus) circumventus palinodiam
decantavit. Ex repetita lectione, inquit Secretarius,
& inspectione codicis constitit omnibus Consultoribus,
Molinæ sententias fuisse fideliter, & candide relatas,
& æque condemnatas. Quibus denuo visis, & dili-
genter consideratis, cum consulis, perscrutandum in
Censura, subscripserunt omnes, excepto P. Procuratore
S. Augustini, qui prius Molinæ doctrinam Pelagian-
ismi condemnaverat, & P. Regente Collegii Car-
melitarum, qui semper judicavit, illam esse probabi-
lem.

Ad Summum Pontificem admitti Censores die
12. Octobris demandatæ sibi provinciæ rationem
retulere. Molinæ Censuram, eorundem subscri-
ptionibus munitam, ejusdemque Summarium,
quod in Appendice ex integro dabimus, non mo-
do grato excepit animo Beatissimus Pater; sed
& una cum ipsis hoc de argumento, uti privatus
Theologus, conferre voluit. Mirari tunc maxime
fuit eximiam humanitatem, singulari eruditione
conjunctionem, quæ & Apostolicæ Dignitatis verti-
cem demitteret, & reconditoria Divinæ Gratia
mysteria referret. Egit trium, & amplius hora-
rum spatium de intrinseca Divinæ Gratia efficacia,
quam Divinarum Scripturarum, Sacrorum Con-
ciliolorum, nec non S. Augustini, ac D. Thomæ
locupletissimis testimoniis confirmavit. Maximam
etiam contra Molinam animi offensionem ostendit,
tum ob conculcatam SS. Patrum, veterum-
que Theologorum auctoritatem, tum ob invec-
tam summæ Ecclesiæ Catholicæ damno novitatem.
Addidit, nec sine stomacho, se in Sacra Inqui-
sitionis carceres Molinam conjecturum, si eum
forte Roman venire contingeret. Accidit autem,
ut data singulis dicendi venia, multisque contra
Molinæ doctrinam colloqueribus, ejusdem defen-
sionem susceperit Antonius Bovius, & rationes
aliquot eo sine protulerit. In quem converso ser-
mone, inquit Pontifex: „Pater, omnes istæ
rationes mere nugæ sunt: & hæc responsa,
quæ assert, eadem sunt ineptiæ, quas jam in
Suarezio observavimus. Padre, tutte queste
ragioni son castroverie; e quelle risposte, che date
sono

(1) Exstat in Miscel. vol. sig. A. (2) Lib. 4. c. 18. (3) Ex 5. Rel. Peg. (4) Quæst. 1. c. 2. (5) Exstat
Indiculus in Appen.

sono l'istesse minchionerie, che abbiamo già osservato nel Suarez.

Iis summa animi voluptate exceptis, Hispaniarum Regis Orator postredie Pontificem adiit, Catholicæ Majestatis nomine gratias habiturus, ac pro Apostolica definitione supplicaturus. Reposuit Beatissimus Pater, rem se quantocius more Rotali cogniturum, ut Pontificiam definitionem maturaret.

Ardens illa Clementis VIII. sollicitudo Christophorum Cobos, & Petrum Arrabal minime latuit: quique inausulto præteritarum rerum eventu jam pridem turbati fuerant, hoc ultimo telope perituri animum. Fore hæcenus existimaverant, ut a ferendo iudicio Censores avocarentur; veriti, ne Molinæ damnationi supremum Hispaniæ Consilium intercederet, uti sæpius Congregationis Secretario ipsimet insurraverant. At ubi rem nequaquam ex nutu cadere, cognoverunt, Matrimonium iter arripere, Hispaniarum Regis patrocinium rogaturi. Consilium hocce, imminensque inde periculum Pontifici detexit Franciscus Pegna, Rotæ Romanæ Auditor, cui mentem suam Cobos valedicturus imprudenter aperuerat. (1.) Consectim hac ipsa die (quæ fuit 21. Octobris) eamque hora Andream Spinosa, Apostolici Cubiculi Præfectum, ad Societatis Generalem Sanctissimum delegavit, cui auctoritate Apostolica præcipere, ut Christophoro Cobos, & Petro Arrubali itinere interdicere; aut certe illos, si casu jam discessissent, viam redire compelleret. Pontificia Mandata, a Præposito suo transmissa, Genæ excepere solliciti Viatores, statimque vestigia relegerunt, Romam se revertit Christophorus Cobos die 23. Novembris; retro stetit Petrus Arrubal, fraternæ charitatis officia Laico itineris socio periclitanti exhibiturus.

Nec satis habuerat Clarissimus Pegna Virorum audacium consilia detexisse: Curiam etiam Matritensem efficacissimis Epistolis occupaverat, ne quid inde finitrum accideret. Litteras (2.) ad supremam Inquisitionis Consilium, ad Cardinalem de Guevara, necnon ad Regis Catholicæ Confessorem dederat die 17. Octobris, quarum hæc erant potissima capita. 1. Quæcumque superioribus diebus circa Controversiam de auxiliis accidissent, brevi recenserebat. 2. Monebat, ut typorum veniam Scriptoribus, novarum opinionum defensoribus, denegarent, ne latius diffusus error Apostolica definitione, prope diem edenda, difficilior tolleretur. 3. Ut in disputationibus, lectionibusque publicis, neglecta S. Thomæ doctrina, suas cuique opiniones in vulgus mittere, minime liceret. Quocirca Episcoporum, & Inquisitorum zelum obtestabatur, quod effreni illa novandi licentia nascentem Lutheranism hæresim vires obtinuisse, notum esset. 4. Ut a Catholicæ Regis Oratore indefinenter apud Summum Pontificem urgeri curarent pro Apostolica definitione matura; ne dolosa Societatis procrastinatione tot hæcenus adhibita studia evanescerent, Iudicesque tedio solverentur. 5. Ut Fratres Prædicatores Theologicas Salmanticensis Academiæ Cathedras dimittere non paterentur; immo Petrum de Ledesma, ac Petrum de Herrera, qui jam iis se sponte abdicaverant, ad easdem resumendas adigerent: aliter enim germanam S. Thomæ doctrinam, ea potissimum ætate necessariam, e Theologicis Academicis eliminandam ominabatur. 6. Demum ex inausultis nunciis, Matrimonium, ac Romam nuper allatis de disseminatis per Jesuitas in Insulis Philippinarum novitatibus significat, quantum periculi sit, eos perveris opinionibus infici, quibus juventutis institutio committitur.

(1) In privatis Pegnae Commem. (2) Exstant in ejus Commem. (3) Henao de Scient. Med. sec. 175.

Romæ etiam apud Eminentissimos Cardinales, Borghesum præsertim, Afulanum, & Arrigonium, causam hanc studiose promovebat Clarissimus Vir, parumque abfuit, quin quo tempore Urbem rediit Christophorus Cobos, lis ultimo finita esset. Verum cum post probatam Molinæ doctrinæ Censuram experiri voluisset pacis amantissimus Pontifex, num Jesuitæ, ipsa rerum evidentiæ permoti, erroris damnationi suffragarentur, res novis difficultatibus involuta est. Convennerunt etenim, eo jubente, Prædicatores, ac Jesuitæ diebus 21. & 22. Novembris coram selectis Arbitris Cardinalibus, Bellarmino, & Afulano, necnon Petro Lombardo, Archiepiscopo Armachano, & Offitio de Offitiis, Episcopo Melfetensi, de recipienda, probandaque Censura deliberaturi: at conatus plane irritus fuit; probantibus quippe Dominicis, Jesuitæ dissentire. Frustra etiam illos ad meliora consilia revocate studuit Illustrissimus Armachanus, elucubrato contra Molinam eruditissimo Opusculo; pro suis enim stetit ex opposito Bellarminus; (3.) cujus etiam numerum responsum in scriiniis Summi Professoræ Romanæ cernere est.

Sed nec id satis. Solutis conventibus, Romanam Curiam clamoribus impleverunt, Molinam summa injuria damnatam; Societatis doctrinam aut a Censoribus minus intellectam, aut odio proscriptam; seque necdum plene pro diluendis accusationibus auditos, palam, ac publice querabantur. Tres libellos supplices intra quinque dies Summo Pontifici porrexerunt. Primum obtulit Præpositus Generalis, quo propositiones tredecim, Molinæ in Censura falso adscriptas, exponebat. Alterum dedit Benedictus Justiniani, quo & multa Molinæ affecta, & multa perperam notata significabat; addebaturque, nihil in ejus libris assertum esse, quod probabiliter iure defendi non posset. Tertium porrexit Christophorus Cobos Ludovici Molinæ nomine, quo per sese audiri postulabat: alias jura omnia, legesque conculcatam iri, clamitabat, secundum quos Catholicæ, præsertim Theologi, non nisi auditū, damnari possunt.

Tot illis expostulationibus Summi Pontificis animum exacerbantibus, quibus nihil, nisi tempus dædere, morasque trahere conabantur. Quis etenim ignoret, Molinam anno ferme integro sanam, ac vegetum huic sæe supplicatori supervixisse; nec tamen Romam iter arripuisse, ut audiri per sese posset? Quisve nesciat, scriptorem satis, pro faciundo in eum iudicio, auditum censei, dum ejus liber biennio evolutus, & mutuo collati contextus, & datæ sensuum expositiones examinata, & discussæ Apologiæ supponuntur?

Ut ut est, maluit Sanctissimus Pater Societati ex abundantia gratificari, quam queribundas Jesuitarum voces, nullo licet jure sultas, audire. Dedit quartum examen tum facti, tum juris, anno proxime sequenti 1661. instituendum; quo prior Censura, seu potius viginti propositiones ex ea deductæ, quibus damnata Molinæ doctrinæ summa stabat, rursus expenderentur: ea lege, ut in Congregationem coram Censoribus duo Societatis Theologi, uti Molinæ Procuratores, totidemque Prædicatores, uti Actores admitterentur; ut facilis & Molinæ doctrina, & sensus, & institutum, mutua accusatione, ac defensione detegi posset.

Timuit aliquandiu Catholicæ Regis Orator, ne ea in Societatem indulgentia, novaque Pontificii iudicii dilatio finitrum quidpiam Hispaniæ, eo intestino bello discissæ, protenderet. Timendi ratio-

rationes Clementi VIII. die 16. Decembris aperuit. Litteras etiam, sibi nuper ea de causa transmissas, ostendit. Verum fecit animos rei quamprimum absolvendæ, majorique fructu conficiendæ suscepta promissio.

CAPUT XIII.

Quartum examen edicit Clemens VIII. Questionem alio divertere, Censoreque delinire nititur Card. Bellarminus.

Promissis religiosissime stetit Clemens VIII. (1.) Quam, cadente superiori anno, Catholicæ Regis Oratori fidem dederat rei diligentissime conficiendæ, hanc, ineunte anno 1661., implere cepit. Primis causæ hujus Cognitoribus (quibus non ita pridem Hippolytum Mafferium addiderat) Joannem de Rada, & Hieronymum Palanterium adjunxit, qui Francisci Brusi locum occuparent. Quare, eo jubente, federunt quatuor hujus examinis Iudices, numero undecim.

F. Propertius Resta de Capellis, Ord. S. Francisci, Episcopus Carientensis, & Geruntinensis.

F. Julius Sanctus de Monte Filatrano, Episcopus Agathensis, Ord. S. Francisci.

F. Lælius Suesianus, Episcopus Noritonensis, seu Nardinensis.

F. Hippolytus Mafferius, Ord. Servorum, Episcopus Montis Pelusii.

F. Joannes de Rada, Procurator Generalis Ord. S. Francisci de Observantia, ac postmodum Archiepiscopus Tranenensis.

F. Hieronymus Palanterius, Ord. Conventualium S. Francisci, Serenissimæ Reipublicæ Venetorum Theologus.

F. Joannes Baptista Plumbinus, Procurator Generalis Ord. S. Augustini.

F. Gregorius Nunnus Coronellus, Ord. S. Augustini, Congreg. Secretarius.

F. Joannes Antonius Bovius, Ord. Carmel. Regens apud Transpontinam.

F. Jacobus le Bossu, Ord. S. Benedicti, Doctor Sorbonicus.

F. Ludovicus de Creil, Doctor Sorbonicus.

Hos, una cum Cardinalibus Bernerio, & Bellarmino, die Januarii 23. Sanctissimus a se feci iussit, iisque verbis committit: *Censuras vestras, biennio, & amplius elaboratas, ac recognitas, Jesuitæ probare nolunt; qua nihil in ejus Concordia, fidei repugnans, scriptum obtendit. Rem itaque præsentibus Prædicatoribus, ac Jesuitis, iterum exponi volo, ac diligentius inquiri, quibus in capitibus Molinæ Pelagianis, ac Semipelagianis assentiatur.*

Fecit hoc Consultoribus, ac præsertim Episcopis, stomachum. Provinciam hanc jamdudum impletam, responderunt; ter, & amplius evolutam Molinæ Concordiam, contextum mutuo collatos, varios sensus diligentissime conficis, Pelagianismi, ac Semipelagianismi fibras omnes penitus inspectas, Jesuitarum denique defensiones auditas, & accuratas expensas, significavit. Stetit nihilominus in proposito Sanctissimus Pater: nec quidquam inconsultum, intentatumque voluit, quo & Molinæ famam liberare, & Societatis clamores compefcere posset.

Nec satis ipsi fuit, quartum istud examen edice-

re: omnem etiam agendi, tractandique rationem Congregationi præscripsit. Duos e Prædicatoribus, toridemque e Societate Theologos, pro utriusque Ordinis arbitrio seligendos, in Congregationem statim diebus advocari voluit, utriusque partis merita defensores, antequam Censores ipsi de confirmandis, rescindendisve pristinis Censuris soli decernerent. Viginti Molinæ propositiones, specialesque uniuscujusque Censuras denuo recognoscendas, diebus ante Congregationem aliquot, utriusque partis Theologis tradi iussit, sua ut responsa scripto pararent, & apud Secretarium deponerent. Ea quoque Theologorum Responsa mutuo communicari voluit; quo novis etiam animadvertionibus pro libito reponere possent: uti revera Prædicatores reposuere.

Verum nec nova illa Clementis VIII. in Societatem indulgentia Molinam liberandam, omninabatur Bellarminus; immo potius aperta cum Pelagianis consonantia revincendum illum, præsertim. Quapropter rem alio divertere studuit, Summoque Pontifici, consonantiam illam potissimum investigandam Consultoribus demandans, caute reposuit, Pelagium multiformam intelligi posse. Verbum non sine offensione excepit Pontifex: (2.) *Ergone, inquit, Pelagium ipsum tueri velis? Cumque tantisper subtraxisset, subjunxit: Pelagii mentem non nisi ex Augustino, Hieronymo, Prospero, Hilario, ac Fulgentio peti, volumus. Ceterum rem quantocius definire statuimus; ac si opus sit, Concilium convocabimus.* Nihil ad hæc Bellarminus; sed disputationes, saltem Prædicatores inter, & Jesuitas in Congregationibus habendas, subinuit. Cui Pontifex: *Non ita certe: res quippe provenderetur in immensum. Ac tandem ad Consultores, qui Molinæ propositiones Pelagianas magis in medium proferre cæperant, converso sermone, Satis est, inquit; de hisce mutuo in Congregationibus conferentis: Ipsi vero causam more Rotali discutimus, & controversiæ finem dabimus.*

Dispicere Bellarmino duriora Clementis VIII. responsa, (3.) nec tamen post elisa consilia cecidit animo; sed quam in stecunda Pontificis mente frustra impenderat operam, in delinensibus Censorum animis locandam exilimavit. Oblitam igitur tentandæ rei occasionem quamprimum arripuit, officiosas Clarissimorum Virorum Crellii, & Bossuti salutationes domi excipiens. Tunc quippe, post effusas urbanitatis, & benevolentie significationes, de Molina, ejusque Censuris sermonem instituit. Mirum, quam redundanti oratione dixerit! Eo tamen redierunt omnia, ut e Religiosis Censoribus aliquos livore potius, quam charitate ductos inuere. Fecit una urbanitatis ratio, ut omnes Molinæ Condemnatores eadem accusatione non implicaret; ne scilicet officiosis saluatoribus insultare videretur. Iis quippe iudicis præconceptam de aliquibus suspicionem confirmavit, quæ in omnes perinde conjecisset, nisi præsentibus convitari pudor fuisset.

Suspicionem enim suam e quadruplici capite deduxit Eminentissimus Vir. 1. Quod Molinam ob impugnatam gratitatem Prædestinationem damnasset, cæteris intactis Auctoribus, qui idem cum ipso sensissent. 2. Quod nonnulla eidem affinxissent, a quibus remotissimus erat: ut, Gratiam efficacem non modo rejici posse, sed re ipsa rejici aliquando. 3. Quod multo plures propositiones Congregatio damnasset, quam que a primis de-latoribus, Hispanisque Censoribus in iudicium vocatæ essent. 4. Quod ex quadraginta circiter Molinæ locis, Pelagianismi damnatis, triginta, & am-

(1) Ex actis Coron. & Diario Pegnae. (2) Ex actis Coron. & Diario Pegnae. (3) Ex Relat. Crellii & Bossuti.

amplius demere liceret, quibus nihil cum Pelagio commune foret.

Verum nec rete accipit tenditur, neque milvio. Reposuerunt doctissimi Viri, nihil a se livore, vel invidia gestum contra Molinam: idemque se de cæteris Collegis religiose sentire. Congregationem de Molina duntaxat, non de cæteris, sententiam dixisse, tum quod hujus unius sibi esset demandatum examen, tum quod ipse cæteris pejus de Prædestinatione sensisset; eamque, ut absonam, & injuriam sententiam fugillasset, quam, veluti Ecclesiæ Catholicæ Fidem, ipsa sua Ill. Dominatio commendaverat.

Pergebat Viri Theologi ad alias criminationes diluendas, cum Eminentiſſimus Cardinalis eos hanc nequaquam vorasse perspicies, sermonem abruptum; non esse, inquit, disputandi locum. Tum arrepto diviticulo, illos blande est adhortatus, ut de Societatis fama pie solliciti, Molinam, quæ majori possent, indulgentia, ac lenitate tractarent; serioque perpenderent, quanto cum Societatis dedecore triumphum ex hujus Auditoris damnatione Prædicatores acturi essent. Eos deum interrogavit, num pro tuenda veritate satis fore, judicaret, si expunctis questionibus controversis, Molinæ liber novis typis ederetur, nullo adversus Auctorem lato judicio?

Respondenter, id de Molinæ in Primam Partem commentariis utcumque tentari posse; de Concordia, minime; cum tota damnatis propositionibus pene coalesceret, istque duntaxat niteretur fundamentis, quæ ex judicio Congregationis Pelagiana, & Semipelagiana probata fuerant. His auditis, despondit animo Bellarminus; idque unum ardentissimis precibus emungere studuit, ut in propositionum damnatione, Molinæ saltem nominari parceretur. Sic quippe & Societatis honorem in tuto positum, & errorem abunde proscriptum iri, contendeat. At nec id quidem obtinuit; quod non in sua, sed in unius Summi Pontificis potestate positum, Viri Clarissimi reposuerunt.

Talibus erat in Societatem affectibus occupatus Vir alias eruditus; necdum hominem ex homine exuerat doctrina, nec pietas: dignusque, omnium assensu, causæ hujus arbiter habitus esset, nisi domesticis rationibus totus additus, Molinæ partes publicis commodis prætulisset.

Romam sub idem tempus nuncius perlatus est, qui Ludovicum Molinam Marriti extinctum reulit. Observatum ab omnibus est, illum ea ipsa die 12. mensis Octobris fato cessisse, qua Romani Cognitores Censuram ejus, secundis curis elaboratam, obtulerant Clementi VIII., eodemque momento Pontificis simul, ac Dei judicium subisse. Hæc de illo scripsit P. Oieda, Societatis in Curia Matritensi Procurator. Vocatus ad Curiam Regiam & Civitatem Conobensi, ex qua recesserat mense Septembri, paulo postquam adventasset, incidit in gravem febrem. Max^o acciti Medici omnem curam, & medicinam opportune adhibuerunt: sed ægritudine invalescente, memoriam omnium rerum humanarum amisit. Sed nec Librorum, nec Scripiorum suorum est recordatus, nec Libri de Concordia Liberi Arbitrii cum Gratia donis: quasi ipse non fuisset, qui tot propterea tumultus in Ecclesia concitasset. Itaque cum nulla medicamenta profuissent, post aliquot dies obiit. Nimirum die 12. Octobris 1600. Cæterum Oiedam spissigrado utum Tabulario, necesse est, ac tardiori, quam sint Corbitæ in tranquillo mari: quæ enim, vertente Octobri, scriptæ fuerant, exeunte demum Februario, Romæ sunt redditæ.

CAPUT XIV.

Quartum examen inveniit selecti Judices, pro Censuris, jam antea latis, recognoscendis. Quid tribus prioribus Congregationibus actum.

Post suscepta Summi Pontificis mandata, ceperunt designati Censores convenire die 25. Januarii 1601. Quartum hujus examinis Congregationum gesta duplici volumine comprehendit Gregorius Coronellus, earundem Secretarius. Primo Congregationum historiam, ab ipsomet adornatam, necnon decreta, ad Censurarum confirmationem edita, ac propriis Censuram chirographis munita, complexus est sub titulo: *Judicium Congregationis, ad Clementem VIII., persistendi in Censura*. Existat Authographum in Angelica Augustiniana Bibliotheca, sub sigillo. Secundo, Prædicatorum, ac Jesuitarum scripta circa viginti propositiones, ad istud examen denuo vocatas, tradita, propriaque Auctorem manu firmata collegit. Existat & istud Authographum in eadem Bibliotheca, signatum T. I. sub hoc titulo: *Responsiones Patrum Prædicatorum, & Societatis ad viginti propositiones, Pelagianismi notatas a Congregatione, ad hoc munus instituta a S. D. N. Papa Clemente VIII. & Observationes quedam ad Responsiones Patrum Societatis; Congregationis expendende, a Patribus Prædicatoribus exhibite &c.*

Ex hoc duplici fonte universa compendio derivabimus, quæ de hujusce quarti examinis Congregationibus proferemus. Si quæ obiter ex Lemosii, Bossutii, ac Pegnæ Diariorum peti contigerit, nonnisi seorsim, & indigitaris Auctoris, fiet; ne publici Auctarii Narrationes, quæ supremam hæc in parte humanæ historiæ fidem obtinent, promiscua externarum narrationum admixtione turbentur.

In his porro triginta septem Congregationum actibus observare licet, duos duntaxat ex undecim Censuris Molinæ adfuisse, Bovium scilicet, ac Plumbinum: illum quidem Societatis, quam olim professus erat, discipulum, qui, vocatus in iudicium, opinionibus eorum in scholis ebiberat: istum, amicorum (ut vidimus) litteris ad palinodiam adductum; nec tamen Molinæ in omnibus consentientem, qui & in eum aliquoties pronuntiavit, & a Congregationibus ex industria sepius abfuit. Hincque probantur viri æqui, ac boni, quæ sit hujus historiæ corruptoribus danda fides; (1) dum, adversus Actuum omnium fidem, Episcopum Nardinensem, Gregorium Coronellum, Jacobum le Bossu, Ludovicum de Creil, Molinæ patronis annumerant.

Die 25. Januarii 1601. habita est prima Congregatio apud Rev. D. Episcopum Cariatensem. Interfuerunt cum Consultoribus Prædicatores, ac Jesuitæ: quibus, rogante sacro Confessu, Sanctissimi mentem aperuit Episcopus Cariatenſis.

Hanc in eo positam, dixit Vir Illustrissimus, ut, missis partium disputationibus, notata jam pridem 20. Molinæ propositiones, una cum distinctis uniuscujusque Censuris, ipsis in antecessum traderentur: quo suas quique ex officio vel defensiones, vel accusationes, Congregationi proferendas, parare possent.

Data amborum Ordinum Generalibus optio est, quos mallent e suis, seu Hispanos, seu Italos seligendi, quibus illud officii publico nomine obeundi committerent. Ac post præmissas mutue urbanitatis significationes, penes Prædicatorum Generalem stetit arbitrium: Is seligit Hispanos; de-

ditque F. Didacum Alvares, Regentem Collegii S. Mariæ super Minervam, & F. Thomam de Lemos, Præsentatum, Societatis vero Præpositus delegavit Christophorum Cobos, & Petrum Arrubal.

Post emissum ab eis sincere respondendi, ac servandi silentii Juramentum, primam, & alteram & viginti Molinæ propositionibus, earumque Censuras, ad novum examen vocandas proposuit Secretarius: quas, altiori voce primum lectas, Jesuitis, ac Prædicatoribus scripto dedit, ut suas in futuram Congregationem responsiones pararent.

Die 29. Januarii 1601. apud D. Cariatensem secunda Congregatio celebrata est. Atceperunt & Prædicatores Didacum Alvares, & Thomas de Lemos; & Societate Christophorus Cobos, & Petrus Arrubal. Agendum fuerat de duabus Molinæ propositionibus, superiori Congregatione propositis: at interrogati Jesuitæ, quid de ipsis, earumque Censuris judicarent, responderunt, se de Pelagianorum erroribus disputaturos accessisse, nec satis temporis habuisse, ut ad interrogata satisfacerent: quapropter inducias rogarunt, & obtinuerunt.

Quæsto subinde Prædicatorum judicio, Congregationis Decreta, quibus propositiones illas Pelagianismi damnaverat, exceperunt, multique capitibus comprobantur. Cæterum in quærenda Pelagianorum mente non admodum immorandum, dixere, quam ex Augustino, Hieronymo, Hilario, Fulgentio, Prospero dignoscere facile foret; dum de singulis Molinæ propositionibus sigillatim ageretur.

Addit ad hæc clarissimus Pegna, (1) Coronellum, audita illa de Pelagianorum erroribus primum expendendis altercatione, Sacrum Confessum serio monuisse, id unum ex Sanctissimi jussu discutiendum occurrere: Num notata viginti propositiones, ex Molina fideliter, ac vere peitæ, debitisque Censuris confixæ fuissent? quæ duo dum suo ordine tractarentur, Pelagiani errores abunde discuti possent. Quo audito, cæteri omnes assensere, ipique etiam Jesuitæ quieverunt.

Die 1. Februarii 1601. apud D. Cariatensem tertia Congregatio habita fuit, præsentibus Prædicatoribus, ac Jesuitis, ut de prima, alteraque propositione Molinæ ageretur. Erant porro propositiones illæ duæ, una cum illarum Censuris, quibus jam tertio in examine confixæ fuerant, his verbis conceptæ.

Prima Propositio.

Concurſus Dei generalis non est influxus Dei in causam secundam, quasi illa, prius ab eo mota, agat, & producat suum effectum; sed est influxus immediate cum causa in illius actionem . . . & effectum . . . Influxus vero ille, quo causa applicentur, & moveantur ad agendum, est commentitius, & minime necessarius . . . multumque præjudicat libertati arbitrii nostri . . . Deus enim, & Liberum Arbitrium habent se, tanquam duæ cause partiales.

Afferitur formaliter a P. Molina in sua Concordia quæst. 14. ar. 13. disp. 26. §. Dicendum, in editione Antverpiensi disp. 27., & in Commentario ad primam partem Divi Thomæ, eadem qu. disp. 6. & 7. §. Item, §. Præterea, atque etiam §. Adde, & §. Avende.

Censura.

Inspecto P. Molinæ scopo, & quod similiter philosophatur de concursu gratiæ coadjuvantis, quem dicit non esse immediatum concursum in liberum arbitrium, ut in causam, quasi prius eo concursu motum, ac a Deo ad agendum applicatum, tales actus eliceret (scilicet fidei, spei, & dilectionis supernaturalis) sed esse influxum Dei immediatum in actus ipsos, una cum libero arbitrio; idque propter rationes, quibus idipsum docuit disp. 25. & sequent. de concursu generali ad effectus naturales: pensata etiam potissima ratione, qua ductus discessit a communi doctrina, ne scilicet tolleretur arbitrii nostri libertas; videtur non discedere a semitis Pelagii, qui ut Gratiam Divinam tolleretur, idem jecit fundamentum, suamque assertionem eadem ratione probare nitebatur, ne scilicet tolleretur arbitrii libertas; ut videre licet apud S. Hieronymum in Epistola ad Ctesiphontem.

Secunda Propositio.

Potest homo per vires naturæ, cum solo concursu generali Dei, assentiri mysteriis supernaturalibus, sibi propositis, & explicatis (qualia sunt, Deum esse Trinum in Personis, Christum esse Deum, & similia) tanquam a Deo revelatis, actu mere naturali. . . . Homini tamen, sic assentienti supernaturalibus mysteriis, Deus, ex certa lege a se cum Filio statuta gratiam conferet, auxiliave, quibus illa credat, ut oportet ad salutem.

Hanc propositionem docet Molina in sua Concordia, quæst. 14. ar. 13. disp. 7. §. Ut ergo, & Paria affirmant: necnon disp. 10. & 11.

Censura.

Dominus Cardinalis Bellarminus lib. 6. De gratia, & libero arbitrio, cap. 1. §. His igitur, inquit, Utrum qui prædicatorem audit, aut doctrinam, a Deo revelatam, per se legit, & habet congruentem persuasionem miraculorum, aut alterius testimonii, quo res, quæ credenda proponitur, efficiatur credibilis, possit eam rem credere sine speciali revelatione divina? Cui questionem satisfacit inquit. Fuit unus ex erroribus Pelagianorum, posse hominem credere sine speciali Gratia Dei. Ita enim refert S. Augustinus multis in locis, sed præcipue in Epistola 106. ad Paulinum, & 107. ad Vitalem. In eodem errore, etiam ante hæresim Pelagianam exortam, fuisse Ticonium, refert idem Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 33. In eodem fuisse Cassianum, & alios quosdam in Gallia, qui propterea reliquæ Pelagianorum dici meruerunt, cognosci potest ex Epistola Prosperi, & Hilarii ad August., & ex lib. ejusdem Prosperi contra Collatorem. In eodem etiam hæsisse aliquando ipsam Augustinum, testis est ipse idem in lib. de Prædestinatione Sancti, cap. 3. Denique hunc fuisse unum ex erroribus Faustii Rhegiensis Episcopi, perspicuum est ex libris ejus de Libero Arbitrio.

Sententiam rogati Prædicatores, utramque propositionem ex Molina optima fide petitam, agnoverunt, & Congregationis Censuram comprobant, multis, in eam rem productis luculentissimis

(1) Per. a S. Jof. in su. Conc. disp. 4. sec. 4. Paul. Leon. 1. p. sec. 9. Ortega Cont. 3. dif. 1. qu. 4. Cor. 3.

(1) In Diario.

fimis argumentis, quæ recentere hic longum esset. Non idem Jesuitis visum est. Primam propositionem Molinæ quidem confessi sunt; sed nulla Censura dignam, immo apud Theologos receptissimam, affirmarunt, quorum suffragia, ac nomina protulere, ut idem cum illis Molinam sensisse, demonstrarent. Cumque ad S. Hieronymi locum, in Censura laudatum, ventum esset, quo Pelagium, Divinum auxilium ad singula opera negantem, erroris accusaverat Sanctissimus Doctor, responderunt Patres Societatis, Pelagium erroris insinulatorem ab Hieronymo iusta de causa, quod nempe concursum etiam concomitantem pernegasset, quem e contra Molina libenter admisit. Tunc Lemos, accepta dicendi venia, demonstravit, eum ob negatum auxilium prævium reipsa damnatum esse: nec parum in eo probando temporis insumpsit, quod rei summam eo in capite positam, intelligeret.

Alterius propositionis occasione contententibus Patribus Societatis, Bellarminum in Censura citatum, duntaxat negasse, assensum fidei mysteriis supernaturalibus actu mere naturali præstari posse, sicut oportet; ostendit Lemos, assensum pariter, a Molina naturæ viribus adscriptum, reipsa huius generis esse; tametsi id, ad avergendam bonorum omnium indignationem, minus consequenter ad sua principia negasset voce tenuis. Siquidem assensum admittit firmum ex parte potentia, & certum ex parte obiecti: quæ duo, ad rectum, debitumque assensum constituendum, abunde sufficiunt.

Absolute Prædicatorum, ac Jesuitarum collatione, utriusque responsa sua Secretario Congregationis scripto dederunt, in publicis commentariis reponenda: quibus ille vicissim tertiam, & quartam Molinæ propositionem exhibuit, suas pro futuris Congregationibus responsiones paraturis.

Addunt ad hæc Clarissimus Pegna, & Thomas de Lemos in suis Congregationum istarum Diariorum manuscriptis, Societatis Theologos, primam secundæ propositionis partem ex Molina quidem fideliter petitam, nullaque Censura dignam affirmasse; cæterum eisdem partem alteram minus sincere ab Auctore Censuræ excerptam, contendisse, Molina quippe, inquit, Jesuitæ, docuit, homini, ex naturæ viribus facienti, quod in se est, Deum ex certa lege conferre gratiam, qua illud, ut ad salutem oportet, efficiat; cum tamen in controversa propositione duntaxat habeatur, homini, per naturæ vim mysteriis revelatis assentiendi, concedi gratiam, qua ea credat, ut ad salutem oportet. Non omnis porro, (subjungebant) qui eo actu mere naturali credit, facit, quod in se est; cum eum pravis forte circumstantiis inquinat.

Verum lectis, collatisque Molinæ locis, perspicuum fuit, propositionem summam fide ex Ludovico Molina a Secretario, Censuræ auctore petitam esse, atque excerptam, & Semipelagianismi iure notatam ab erudito Consultorum cœtu, cuius nomine, & auctoritate Censuram Coronellus ediderat, eorum demum suffragiis, & chirographis communitam, uti suo jam loco notavimus.

Ne quem vero deinceps subortus ille de laudato Molinæ contextu scrupulus male torqueret, aut non satis extemporanea illa Congregationis observatione excussus videri posset, ita difficultatem, a Jesuitis objectam, eliquarunt Prædicatores in suis ad illorum responsiones observationibus, quas secundis curis elaborarunt, & Consultoribus tradiderunt; Ex locis adductis in Censura ejusdem secundæ propositionis, & ex toto contextu, ex quo deducta fuit talis propositio, constat manifeste, Mo-

linam non complexivè, sed divorsive locutum fuisse tam de fide, quam de operibus. Unde sententia ejus fuit, quod facienti, quod in se est, ut credit rebus fidei, Deus infallibiliter dat fidem: & similiter quod facienti, quod in se est, ut doleat de peccatis, Deus infallibiliter dat dolorem de illis, prout ad salutem oportet. De quo iuste damnatur in Censura. Quod si assentiatur rebus fidei actu mere naturali, apponendo illas malas circumstantias, a Patribus in suo proposito relatas; quamvis tunc non detur ei fides, nihil ad rem; neque enim de illo actu cum talibus circumstantiis loquebatur Molina, ut per hoc illum excusare velint. Sed & toto passim scripto demonstrantur, Molinam nihilominus Pelagianismi damnandum fore, si propositionem suam iis præscriptionibus temperasset, quas ipsi fraterna charitas supponebat: eamque gratiæ conferendæ legem humanæ naturæ conatibus inter signemta puridissima reponendam. Qua de re plura dicam hic Congregatione quinta, & infra lib. tertio.

CAPUT XV.

Quid Congregationibus quarta, quinta, & sexta pertractatum in hoc quarto examine.

Die 3. Februarii 1601. apud D. Cariatensem habitata est Congregatio quarta. Soli Consultores interfuere. Actum de Jesuitarum responsionibus, nudistertius Congregationi datis, quibus primam, & alteram Molinæ propositionem tueri tentaverant. Verum absentibus Antonio Bovio, & Ludovico Crellio, in alteram Congregationem definitio dilata est.

Die 5. Februarii 1601. apud D. Cariatensem quinta Congregatio celebrata fuit; ad quam Prædicatores, ac Jesuitæ vocati sunt. De tertiam, & quartam propositionem, censurisque in eas jam antea districtis, hic agi coepit. Sic porro illæ se habebant.

Tertia Propositio.

„ Hominibus, qui ad filiorum Dei dignitatem
„ nondum pervenerunt, eatenus facta est potestas,
„ ut filii Dei fiant, quatenus si, quantum in se
„ est, conentur, præsto illis aderit Deus, ut fi-
„ dem, & gratiam consequantur, neque desiderio
„ suo fraudentur. Quod si, conantibus ex suis
„ naturalibus, facientibusque quod in se est, vel
„ ut fidem amplectantur, vel ut ne peccatis do-
„ leant, Deus non est semper præsto per auxilia,
„ & gratiam prævenientem, ut actus sint, quales
„ ad salutem oportet: quam ratione verum erit,
„ Deum velle, omnes homines salvos fieri, eaque
„ ratione acceptum coram eo esse, ut obsecratio-
„ nes, postulationes, orationes, & gratiarum
„ actiones pro hominibus fiant, ut eo loco Pau-
„ lus docet? Cum itaque Deus sua scientia præ-
„ videat, quinam ex his, qui audituri sunt Evan-
„ gelium, conaturi sint ex suis naturalibus ad as-
„ sensum eliciendum, ut tenentur; & qui non;
„ sane, ut a peccato non excusentur, qui assen-
„ sum fidei supernaturalem non elicerint, satis
„ est, Deum suo auxilio, & gratia præsto esse
„ ad preveniendum in eodem instanti, quocum-
„ que præviderit, ex suis naturalibus ad assensum
„ conaturus. Hæc propositio asseritur formaliter a
„ P. Molina in sua CONCORDIA, quæst. 14. art.
„ 13. disp. 10. 11.

Censura.

„ Hanc propositionem dicit D. Cardinalis Bel-
„ larminus lib. 2. de gratia, & lib. arb. cap. 1.
„ §. Prima sententia fuisse Pelagianorum, & eo-
„ rum, qui in Gallia Pelagianis favebant, Cas-
„ siani, & Fausti. Idque revera ita esse, constat
„ ex

„ ex S. Augustino lib. primo ad Bonifacium con-
„ tra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 19., &
„ Epistola 107. ad Vitalem. Sensum etiam illius
„ sententiæ Joan. cap. 1. Dedit illis postquam,
„ filios Dei fieri, quem Molina docuit, ait idem
„ D. Cardinalis lib. 3. ejusdem lib. 3. Tertium, fuisse
„ Pelagianorum, & Semipelagianorum; quem
„ etiam refert S. Prosper in Epist. ad S. Augu-
„ stinum, & impugnat S. Augustinus lib. De
„ dono perseverantiæ cap. 8. lib. 1. ad Bonifa-
„ cium contra duas Epistolas Pelagianorum, cap.
„ 2., & lib. 4. contra Julianum Pelagianum, cap.
„ 8. totam hæc propositionem Molinæ impugnat,
„ tanquam Fidelis, & Divinis Scripturis omnino
„ contrariam.

Quarta Propositio.

„ Potest ex folis suis naturalibus homo efficere,
„ ut ad mere naturali revelatis assentiatur. Præ-
„ terea postquam edocui fuerit, supernaturalem
„ assensum esse ad salutem necessarium, potest
„ optare ita credere, atque etiam conari, ex do-
„ no, & auxilio Dei supernaturali assentiri. De-
„ nique potest petere, ut auxilium illud sibi do-
„ netur, & ad illud recipiendum fatigare se dis-
„ ponere.

„ Ita docet Molina in sua CONCORDIA, quæst.
„ 14. art. 13. disp. 9. statim in principio. Idem
„ docet disp. 33. §. Accipe, in impressione Ant-
„ verpiensi. disp. 45.

Censura.

„ D. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de gratia,
„ & lib. arb. cap. 1. §. Prima sententia, dicit,
„ hæc sententiam esse Pelagianam, & de reliquiis
„ Pelagianorum. Idem asserit S. Prosper in Epist.
„ ad S. Augustinum, & lib. contra Collat. cap.
„ 4. & Epist. ad Rufinum paulo post principium.
„ Denique S. Augustinus lib. 4. contra Julian. Pe-
„ lagian. cap. 8. eamdem sententiam impugnat,
„ tanquam Fidei adversam.

„ Suas ad tertiam, & quartam propositionem res-
„ ponsiones scripto dederunt Prædicatores; qui & il-
„ las a Molina vere asseratas, & a Congregatione debi-
„ ta Censura confixas agnovissent. Mox dicere ius-
„ tit, ostendit Thomas de Lemos, propositiones il-
„ las, uti & secundam, superioribus diebus exami-
„ natam, eo plane collimare, ut justificationis ini-
„ tium naturæ viribus ascriberetur. Subjuxit, mul-
„ tisque probavit, Molinam his in capitibus, quovis
„ licet defensorum ejus adhibito temperamento,
„ nequaquam ab hæresi liberatum iri; cui & sensus,
„ & scopus, & verba cum Semipelagianis commu-
„ nia erant. Tum demum in memoriam revocatis,
„ quæ nuper de concomitanti gratiæ adjutorio, a
„ Pelagianis admisso, demonstraverat, conclusit, ni-
„ hil hoc in capite Molinam a Pelagio distare:
„ quippe qui Divinæ gratiæ auxilium ob bonum
„ liberi arbitrii usum concedi, ambo perinde con-
„ tenderent.

„ His dictis commoti Patres Societatis vehemen-
„ ter insisterunt, ut quæ dixerat, Pater Lemos scri-
„ ptò traderet. Cumque id se facturum, spondidisset
„ ille, nequaquam tamen quieverit. Sed magis
„ clamoribus, (ut Notarii verbis utar) & artuum,
„ ac totius corporis immodica agitatione instabant, ut
„ protinus illa omnia, quæ dixerat, scriberet; nec aliter
„ se ad propositiones responsivas, vel ad ulteriora
„ progredi, ullo modo permissuros.

„ Jussit Congregationis Præfex, Thomam de Lemos
„ Patribus Societatis satisfacere. Paruit ille,
„ interiusque cubiculum subiit, dicta sua scripto da-
„ turus. Interea inuentibus Patribus Societatis, Mo-
„ linæ sententiam de Dei cum causis, non in cau-
„ sâ, naturali concursu præstari non posse, nisi
„ gravissimis Auctoribus, idem cum illo sententi-
„ bus, perinde damnatis, respondit Præfex, sibi, to-
„

„ Sorry Tom. I.

„ tique Congregationi Molinæ duntaxat examen de-
„ mandatum esse, seque de cæteris acturos, si horum
„ sibi causam committi contingeret.

„ Mox interiori cubiculo progressus Thomas de
„ Lemos, scriptum legit, ac dedit sub hac verbo-
„ rum forma.

„ Addo etiam ego F. Thomas de Lemos præter ista,
„ (hoc est, quæ jam scripto Congregationi dede-
„ rat) quod P. Molina in omnibus istis tribus propo-
„ sitionibus, duabus nempe hujus Congregationis, &
„ in secundâ propositione Congregationis præterite, ad
„ eundem finem ordinat omnes illas, videlicet ut det
„ initium justificationis, ex nobis, non complexivè, sed
„ etiam divorsive. Et quamvis complexivè loqueretur;
„ adhuc daret initium justificationis ex nobis. Unde in
„ verbis, sensu, & intentione non recedit a sententiâ
„ Pelagianorum; siquidem istdem utitur argumentis,
„ fundamentis, & istdem explanationibus Scripturæ
„ Sanctæ, quibus illi urebantur. Præterea, quia nega-
„ tum fuit in præterita Congregatione, Pelagium esse
„ reprehensum a S. Hieronymo, eo quod negavit au-
„ xilium, seu concursum in causam; sed quia negavit
„ influxum immediatum in operationem: addo, inquam,
„ quod apud S. Patrem Augustinum lib. 1. contra duas
„ Epistolas Pelagianorum, cap. 19. constat, quod Pe-
„ lagius posuit gratiæ adjutorium concomitans, sive sub-
„ sequens immediate in ipso opere, quod incipit homo
„ ex viribus naturæ: quod etiam videtur dicere idem
„ S. P. Augustinus lib. 1. contra duas Epistolas Pe-
„ lag. cap. 8. & Molina eodem modo explicat motus
„ gratiæ prævenientis disp. 43. §. Accipe Die 5. Fe-
„ bruarii F. Thomam de Lemos, Præsentatus.

„ Protinus conclamarunt Patres Societatis: Non
„ dicit duo in Scriptura, quæ voce præstitit: nam vo-
„ ce dicit, Gratiam a Pelagio admissam; scripto vero
„ dicit adjutorium Gratia. Secundo etiam omisit, quod
„ prius asseruerat, Molinam affirmasse, quod propter
„ bonum usum liberi arbitrii Deus det auxilium Gra-
„ tiæ.

„ Testes quoad primum appellavit Thomas de Lemos,
„ quotquot Censores aderant, num inter lo-
„ quendum adjutorii vocabulum usurpasset. Alterum
„ vero omnium factus est, sed consulto; quod illud
„ jam istdem plane verbis scripto suo, Congregationi
„ dato, consignasset; productisque in medium
„ instrumentis, dictis fidem locupletissimam
„ fecit.

„ Tunc, ne peregrinam doctrinam Molinæ affi-
„ dam crederent aliqui, legit Didacus Alvares a
„ CONCORDIÆ loca, quibus ob bonum liberi arbitrii
„ usum auxilium Gratia concedi propugnari. Id ul-
„ tro facti sunt Jesuitæ; Molinam tamen od id Cen-
„ sura dignam negarunt, cum de liberi arbitrii usu,
„ ex gratia profecto loqueretur. Oppositum ex tri-
„ plici capite probavit Lemos; nec nisi ad unum,
„ & quidem subleste satis, responderunt illi. Sed ad
„ alteram questionem declinantes, se contra Prædi-
„ catorum asserta probaturos, dixerunt, Pelagium
„ gratiæ cooperantis, seu concomitantis auxilium
„ non admisisse, atque ob id unum damnatum esse:
„ quod negaverit omnem Gratiam supernaturalem
„ intrinsecam; nec aliam agnovit præter liberum ar-
„ bitrium, & legem, atque doctrinam forissecas in-
„ stantem.

„ Hæc de re cum invicem disceptarent; Jesuitas
„ gratiam cooperantem in internis suasionibus con-
„ stituentes, easque a Pelagio nusquam admittas fuisse,
„ propugnantes, interpellavit Episcopus Neritonen-
„ sis. Non potest, inquit, negari, esse certum apud
„ S. Augustinum in Libro de Gratia Christi, Pelagium
„ agnovisse internas Dei revelationes, & suasio-
„ nes; sed an fidele, an vere ex animo eas agnovit,
„ S. Augustinus non indagavit: quippe cui cum Pe-
„ lagio quæstio erat non de istis revelationibus interio-
„ ribus, & suasionibus, quibus Deus moraliter tan-
„ tum

Q